

§. VII. Ecquis hic expresse Gnosticos eorum nomine, qui mulierculas captivarunt ab *Irenæo* perstringi Hieronymum affirmare non videt? Certe qui *Irenæi* Libros vix obiter inspe- xit, non poterit ignorare, *Gnosticorum* nomine illum *Valenti- nianos* præcipue notare. Primum enim ab ea, quæ dicitur *Gno- stica heresis*, *Valentinum* vocat (s) ejusque discipulis jactatam *γνώσις* false exprobrat (t). Quanta vero illis in mulieribus cor- rumpendis scelera non objicit? *Quidam*, ait, (u) carnalibus voluptatibus insatiabiliter inservientes, carnalia carnalibus, spiritalia spiritalibus reddi dicunt. Et quidam quidem ex ipsis clam eas mulieres, quæ discunt ab eis doctrinam hanc, corrup- punt: quemadmodum multa sæpe ab eis suasa, post conversa mu- lieres ad Ecclesiam Dei, cum reliquo errore & hoc confessa sunt: Alii vero & manifeste ne quidem erubescentes, quascunque ad- amaverint mulieres, has a viris suis abstrahentes, suas nuptas fecerunt. Alii vero valde modeste initio, quasi cum sororibus fingentes habitare, procedente tempore manifestati sunt, gra- vida sorore a fratre facta, & alia multa odiosa & irreligiosa facientes. Speciatim de *Marco*, *Valentini* sectatore, maxime, inquit (x) circa mulieres vacat, & hoc circa eas, quæ sunt ho- nestæ & circumpurpuratæ & ditissima, quas sæpe adducere ten- tans, dicit blandiens iis: Participare te volo ex mea gratia &c. Hinc exposita methodo, qua ad prophetandi audaciam captas erigat mulierculas, illas, addit, & gratias agit *Marco* — & re- munerare eum gestit, non solum secundum substantiæ suæ datio- nem, unde divitiarum copiam magnam collegit, sed & secun- dum corporis copulationem, &c. Paulo post singularem de uxore cujusdam diaconi Asiatici historiam refert, quæ cum a mago isto (*Marco*) & sententia & corpore corrupta, & secuta eum esset multo tempore, post deinde cum magno labore fratres eam convertissent, omne tempus in exomologesi consummavit, &c.

C 3

Paria

(s) Lib. I. cap. V. (t) l. c. cap. IX. (u) l. c. cap. II. (x) l. c. cap. IX.